Epistula ad Eucherium Lugdunensem (Latin)

Rusticus the Presbyter (5th century)

SermonIndex.net / Church Fathers

Epistula ad Eucherium Lugdunensem

Iii. Domino Uero Sancto Atqve Amico Dei Et Mihi In Christo Omni Cultu Suscipiendo Papae Eucherio Rusticus Presbvter

Transcriptis exultanter ac raptim quae deprecante me exemplanda misisti illico ad beatitudinem uestram uolumen utrumque direxi; unica uero illa et sine comparatione doctrina, qua ex utroque testamento magnorum aenigmatum absolutissime aperiens quaestiones amoto uelamine oculis cordis uerum spiritalis intellegentia lumen infundit, quam admirationi mihi fuerit, manifestius declarare non potui, quam ut eam a me faterer digne non posse laudari. quamquam quid ego ad adtollenda ea quae editis solum me esse imparem dicam? pace dictum sit omnium qui sunt optime his quae liberalia appellant studia instituti, nec ab his quidem mira librorum tuorum praeconia satis digne excoli posse existimo. quia licet facilius esse decernant iudicare quam dicere, mihi tamen adeo persuasum est non esse hoc facile, ut merito definiam, quod nemo rectius tam praeclari operis praedicator existeret quam eius inuentor et conditor, quia, quod nemo sic potuit inuenire, utique sic nemo laudat. sed dum haec tacitus mecum reuoluo, occurrit mihi quod in bibliothecis studiosi saecularium litterarum puer quondam, ut se aetatis illius curiositas habet, praetereundo legissem. nam cum supra memoratae aedis ordinator ac dominus inter expressas lapillis aut ceris discoloribus formatasque effigies uel oratorum uel etiam poetarum specialia singulorum autotypis epigrammata subdidisset, ubi ad praeiudicati eloquii uenit poetam, hoc modo orsus est:

Virgilium uatem melius sua carmina laudant,
in freta dum fluuii current, dum montibus umbrae
lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet
.
semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt
. et uere, dummodo orationibus tuis culpa caream, quod inter sacros apices commemorationesque sanctorum mundialium a me scripturarum promuntur exempla, merito mihi dominum Eucherium mente recolenti memoratum in memoriam opus recurrit. nam dum erunt superius conprehensa, omnium Christianorum ore et amore celebrabere praedican-

dus in posterum, dum doces posteros. ora pro me, domine uere sancte atque amice dei et mihi in Christo omni cultu suscipiende pater.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sancti Eucherii Lugdunensis*** edited by Karl Wotke (Prague, Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1894) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 31), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.